



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. VIII. Cinctun obsidione oppidum liberatur celeberrimo, &
maximè illustri miraculo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

MIRAC. VIRG. VIII.

Cinetun obsidione oppidum liberatur celeberrimo, & maxime illustri miraculo.

IN oppido, quod Aug dicitur, propè Aurelianensè ciuitatem, publico uoto suscepto, purissimæ Virginis templum augustè consecratum est. Fortè oppidani ab hostib. longa obsidione ita erant fatigati; ut planè de humanis uirib. desperantes, in solo Deo spem collocarent. Interim unà omnes, ab infantib. usq. ad natu grãdiores templum illud immortalis reginæ dicatum adire, & ante eius imaginem eandem non sine dolore, & maximis lacrymis obtestari, ut apud filium pro illius oppidi salute, patronæ parteis sustineret. Eius deniq. augustissimum simulacrum ante oppidi portam, ut terrorem hostib. incuterent, erexerunt. Sub eo latitans oppidanus, sagittis ingentem hostium numerum conficiebat, ac prosternebat. Eum ibi latentem unus ex hostib., diris imprecationib., ac maledictis urgens, futurum, dixit, ut illinc inuicta etiam Virginis imagine protraheretur. Statim opposito genu arcum incuruans, in eum sagittam misit. Ad res dictu mirabilis, Virginis simulacrum, paulum elato genu, sagittæ ictum repulit, ac sibi addictum uirum seruauit. fama per hostium castra uagabatur, & ubiq. sermo habebatur, pro illis oppidanis, à Dei matre, bellum susceptum fuisse, ac sustineri. Quod ubi ab exercitus, ac legionum ducib. rescitum est, oppido statim obsidione liberato, & pacis foedere icto, tem-

plum illud Virginis petentes, sanctissimum eius nomen, multis allatis donis, piè, sanctèq. uenerati sunt. Atqui inter eos populos perpetua fuit concordia; solidaq. pax, & tranquillitas illis, Virginis benignitate, ac liberali munere parta est. Adhuc etiam in sanctissimae illius imaginis tutela est illud oppidum; & in eo templo, sagitta illa, cui se Virgo opposuit, uisitur.

MIRAC. VIRG. IX.

In templum illato incendio, & igne omnia peruagante, reginae coeli simulacrum, quod ibi erat, ne attingitur quidem.

IN D. Michaelis aede, fulminis impetu incendium excitatum est. Illignea Virginis imago, quae ibi erat, cuius caput subtilissimo, & candido uelo redimitum erat, nihil ex accenso igne damni perpessa est. Reb. n. omnib., quae prope simulacrum etant, absumptis, & flamma combustis, ignis illud occipere expauit. Quocirca uelum illud, cuius color niueus erat, non modò non igne attactum; sed nec eius candor ulla in parte fumo infectus est. Quinetiam stabellum quoddam gracchi pennis consutum, quia ad imaginis illius latus haerebat, sartum integrum & tectum seruatum est. Non praetereundum est, quod olim Fauentiae euenit. Graui. n. flama in aedib. exorta, nihil ibi reliquiarum fuit, nisi parua tabella, in qua mortaliu patrona picta erat. Ne tanti miraculi memoria ullo unquam tempore interiret; Fauentini pulcherrium & ornatissimum templum summa munificentia, publicè aedificarunt, quod pictis tabellis plenum est;

in